

The Works of Lancelot Andrewes
Sometime Bishop of Winchester.

Vol. IX.
Opuscula Quædam Posthuma.

Oxford: John Henry Parker, 1854.
Library of Anglo-Catholic Theology

REVERENDISSIMO ANTISTITI,

D^o. EPISCOPO WINTONIENSI

PETRUS MOLINÆUS

S.P.D.

MAGNO quidem Ecclesiæ et Reipublicæ damno Amplissimus vir decessor tuus rebus humanis exemptus est:¹ Amisit Rex serenissimus sapientissimum Consiliarium, et Ecclesia fidelem pastorem: ego vero patronum et amicum, qui cum esset mearum rerum studiosissimus, plus tamen virtute sua quam beneficiis animum meum devinxerat. Habeo ejus literas, quas ad me scripsit affecto corpore, et propemodum conclamata valetudine, quarum aspectus animum meum exulcerat. Hæc tamen acerbitas non parum est mitigata, quando audivi te in ejus locum esse suffectum, cujus pridem admiratus sum Doctrinam, et coram expertus sum benevolentiam. Nempe Rex judicio acerrimus, non diu hæsitavit in eligendo. Jam designabaris successor judiciis omnium, quibus Regis nota rest prudential. Id vero tibi et Ecclesiæ ac regno felix faustumque sit. Det tibi Deus cum incremento honoris incrementa virtutis, crudamque ac vegetam senectutem: Ut Rex serenissimus diu utatur te suasore, et Ecclesia majores in dies capiat fructus tuæ industriæ et vigilantia.

Scripsi librum de vocatione pastorum,² in quo quædam sapientissimi Regis animum pupugerunt, quasi adversa muneri Episcopali.

¹ [Jacobus Montagu. Quo die obiit incertum est, utrum Jul. xix., A.D. 1618, (ut refert Franc. Godwinus in Comment. de Præs. Angl. Tom. i. p. 241. Cant. 1743.) an Jul. xx., aut Aug. xiii. ejusdem anni; ut habet Richardsonus in notis ad loc.]

² ['De la Vocation des Pasteurs, par Pierre du Moulin. A Sedan, 1618.' Editio prima in manus nostras haud pervenit.]

Sed altrinsecus quidem nostrates non obscure conqueruntur, me Episcoporum causam egisse, Aeriumque damnasse, quod in re pridem et unice recepta, ausus sit opponere sese consensui universalis Ecclesiæ. Molestaque ferunt me dixisse jam inde a proximis successoribus Apostolorum passim receptum fuisse in Ecclesia, ut inter presbyteros unius urbis unus aliquis emereret, et Episcopus vocaretur. Sed cum plurima sint, quæ Rex in meo libro transverso obelo confodit, quæ quidem sapienter, ut omnia, observavit, et incredibili ingenii acrimonia; tri tamen sunt, quæ præcipue eum offendunt. Primum est illud, quod dixi in Novo Testamento Episcopi et Presbyteri nomina promiscue pro iisdem accipi. Alterum est, quod assero unum eundemque esse ordinem Presbyteri et Episcopi. Tertium est, idque gravissimum, quod censeo Episcopalem *προστασιαν* non esse juris divini, nec caput fidei, sed rem esse circa quam vetus Ecclesia usa sit sua libertate et prudential, iudicans præeminentiam unius esse accommodatiorem ordini tuendo et paci conservandæ: et posse inter Ecclesias super hac re discrepantes sartam esse integramque concordiam. Hæc quidem fateor a me scripta, quæ ne aliorum trahantur, aut accipiantur in sequiorem partem, quæ sit super his mea mens, paucis accipe. [1.] Dixi equidem in Novo Testamento voces Episcopi et Presbyteri perinde accipi, sed non putavi inde imminui dignitatem Episcopalem, cum loquutus sim de solo nomine, non de solo munere: habeamque præter loca Scripturæ diserta, consentientes, præter Presbyterum Hieronymum,³ celeberrimos Episcopos veteris Ecclesiæ, Chrysostum, Ambrosium, Theodoretum, qui non putaverunt sibi fraudi esse, aut per hoc de sua dignitate quicquam detrahi, si voces Episcopi et Presbyteri primitus eodem sensu usurpatas fuisse crederetur. [2.] Ordinem vero Episcopi et Presbyteri dixi unum esse eundemque, sic enim semper sensit vetus Ecclesia, idemque adhuc sentit Ecclesia Romana, quanquam in ea, inter Episcopalem pompam, et Presbyterorum sordes, incredibile sit discrimen. Inde est, quod in Pontificali Romano agitur de consecratione Episcopi, de ordinatione vero Episcopi nusquam. Nempe aliud est ordo, alius gradus: possunt utique ejusdem ordinis homines differere gradu et dignitate, quemadmodum et inter Episcopos eminentior est gradus Archiepiscoporum. 3. Episcopalem vero gradum et prærogativam esse juris Ecclesiastici, non vero divini; fateor a me dictum esse. Sed præterquam quod aliter loqui quam sentiebam, non fuisset hominis cordati nec probi, tu pro tua æquitate facile iudicabis, hominem Gallum viventem sub politia Ecclesiæ Gallicanæ, non potuisse aliter loqui, quin censuram

³ Primatum.

nostrarum Synodorum incurreret, et sub interminatione καθαιρεσεως⁴ ad palinodiam compelleretur. Nam censere, Ecclesias nostras et errare in capitibus fidei, et in re quæ sit juris divini, id sane esset eis inurere notam hæreseos, et multorum infirmorum labefactere conscientiam. Ego vero ad scriptionem hujus Libri animum ajeci invitus, sic postulante Ecclesia nostra et jamdudum urgente, ad retundendam proterviam adversariorum, qui in hac quæstione nobis insultant intemperantius, et de nobis loquuntur ut de fungis recens e terra prognatis, et ut de tenebrionibus qui invaserunt suggestum per vim ac tumultum. Veruntamen puto me secutum esse hoc temperamentum; ut, dum tueor nostra, vesta non convellam, nec αμετρία ανθολκη⁵ in alteram partem plus æquo propendeam. Neque vero mentionem uspiam feci Episcoporum Angliæ sine honore. Hæc putavi scribenda ad te, vir maxime, cui imprimis cupio mea probari. Misissemque dudum librum meum, nisi accepissem a multis te Gallica non attingere. Nunc vero mitto, quia ex quo frueris propiori et frequentiori Regis aspectu, non dubito, quin super hac re sit sermons aliquos tecum commutaturus, et te adhibiturus judicem. Ego vero te judicem libenter feram, gnarus doctissimos quosque solere esse æquiores, et sperans te non resecaturum ad vivum quæ possunt leniri commoda interpretatione. De me sic cogita, ut de homine apud quem semper magna erit auctoritas antiquitatis, et qui mihi abunde videbor tectus adversus adversa judicia, si mea non prorsus improbaveris. Deus te servet incolumem, Amplissime Antistes. Vale. Lutetiæ Parisiorum, Nonis Septembribus, 1618.

Tuæ Amplitudini devotus,
PETRUS MOLINÆUS.

⁴ Deturbationis e gradu.

⁵ Immoderato studio partium.